



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

4. Etsi animarum &c. Adversus Mendicantes qui sacramentorum
Administrationem & sacras Conciones habere, multa item Ecclesiastica
munia obire contendebant: anno

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANNO
1382.

II.
Ex. Arch.
Angl. Rimer
Tom. VII.
pag. 352.

Confederationes cum Hæreticis quacunq[ue] firmitate roboratas esse nullas decernit; anno 1382.

URBANUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam.

Inter sollicitudines varias quibus assidue premimur illa potissime pulsatur, & exirat mentem nostram, ut circa salutem animarum Christi fidelium sollicitis studiis intendamus, & ne fideles ipsi, ex consortio & participatione schismaticorum seu Hæreticorum labefactari valeant, adhibeamus remedia opportuna. Sanè ad nostrum nuper pervenit auditum, quòd tam carissimus in Christo filius noster Venceslaus Romanorum & Bohemiarum Rex illustri, quàm etiam claræ memoriæ, Carolus Romanorum Imperator, & ipsius Regis genitor, simul, vel successivè, non nullas Confederationes vel Colligationes, seu ligas, & conventiones cum diversis Regibus, Principibus, Ducibus, Comitibus ac Magnatibus, Nobilibus, & certis aliis, inierunt seu fecerunt, & quod aliqui ex hujusmodi Regibus, Principibus, Ducibus, Comitibus, Magnatibus, seu Nobilibus, aut aliis tunc erant seu postea sunt effecti schismatici seu Hæretici manifesti, Colligationes, & ab unitate Sanctæ Romanæ & Universalis Ecclesiæ separati, quamvis per nos aliàs declarati non sint: Nos igitur, attendentes quòd hujusmodi Confederationes, & Ligæ, seu Conventiones, factæ cum hujusmodi Hæreticis aut Schismaticis, postquam tales effecti erant, sunt temerariæ, illicitæ, & ipso jure nullæ & si fortè ante ipsorum lapsum in schisma, seu Hæresim, inita factæ fuissent, etiam si forent Juramento, vel fide data firmatæ, aut confirmatione Apostolica, vel quacunq[ue] firmitate alia roboratæ, postquam tales, ut præmittitur sunt effecti eo ipso tam idem Rex, quàm alii, qui forsitan una cum eo hujusmodi Confederationes, Colligationes, & Ligas, seu conventiones, cum talibus inierunt seu fecerunt, & ad quos hujusmodi Confederationes, Colligationes, Ligæ, seu conventiones quomodolibet extendi possunt, & quorum interest vel interesse poterit ab earum observatione absoluti existunt, illasque ipsis servare non debent. Quinimo ipse Rex hujusmodi Schismaticos & Hæreticos, ratione Imperii, ad quod Electus & per nos approbatus existit, in favorem Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ, cujus est Advocatus, pro posse persequi tenetur, quòdque omnis communio cum talibus Hæreticis seu Schismaticis nimis periculosa existit, cum nulla sit prorsus nec esse debeat participatio lucis ad tenebras, aut Christi ad Belial. Et cupientes, super his, animarum salutem, & honori, ac statui ejusdem Regis, & aliorum quorum interest, ut præfertur salubriter providere, ac periculis & scandalis, quæ ipsis exinde provenire possent, utiliter præcavere; eundem Regem & omnes illos quorum interest, vel interesse poterit, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium, declaramus fuisse, & esse ab eorumdem Confederationum, Colligationum, Ligarum, & conventionum observatione penitus absolutas, & ad earum observationem aliquatenus non

Bullarium Romanum Continuatic Pars III.

teneri, illasque, quatenus de facto processerunt, cassamus, irritamus, & nullius esse decernimus firmitatis. Et insuper, cupientes animarum periculis obviare, tam eidem Regi, quàm etiam omnibus hujusmodi aliis, quorum interest, seu interesse poterit, tenore præsentium, districtius inhibemus, ne Confederationes, Colligationes, Ligas, aut conventiones hujusmodi aliquatenus observent, seu ab illis servari quomodolibet permittant. Decernentes ex nunc irritum & inane quicquid in contrarium, à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Declarationis, cassationis, irritationis, inhibitionis, vel Constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumperit, Indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum III. Calendas Aprilis Pontificatus nostri anno quarto.

Adversus Mendicantes qui sacramentorum Administrationem & sacras Conciones habere, multa item Ecclesiastica munia obire contendebant: anno

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis Religiosis cujuscunque Professionis vel Ordinis præsentibus litteras inspecturis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Et si animarum affectantes salutem &c. Nos igitur qui ex suscepti Apostolatus officio, & infra. Universitati vestræ per Apostolica scripta in virtute S. Obedientiæ districtè præcipiendo mandamus quatenus Parochianos diebus Dominicis & festivis non recipiatis de cætero in Ecclesiis, seu Oratoris vestris temerè ad divina, nec ipsos sine licentia Sacerdotis, ad Pœnitentiã aliquatenus admittatis, cum si quis alieno Sacerdoti justa de causa sua voluit confiteri peccata sua, secundum statuta Concilii generalis licentiam prius postulare ac etiam obtinere debet à proprio Sacerdote, vel aliàs sibi primo confiteri, & recipere absolutionis Beneficium ab eodem. Aliter namque ipse absolvi non poterit, cum duplex in judicando funiculus pietatis & scientiæ requiratur, quorum alterum in alieno constat deficere Sacerdote. Et ne Parochialibus Ecclesiis, devotio debita subtrahatur ante missarum solemnias ad quæ audienda Parochiani prima diei parte in suis consueverunt, & debent Ecclesiis convenire. Nequaquam enim Ecclesiis vestris supra dictis nec hora ipsa solemnies eis faciatis sermones, ne propter hoc audiendos ad vos populus confluens Parochiales Ecclesias derelinquat. Sed nec ad prædicandum solemniter ad alias Parochias accedatis nisi à Sacerdotibus earum Parochiarum fueritis invitati, vel saltem ab illis humiliter perieritis & obtinueritis vos admitti. Et ut debitus honor Episcopis deferatur, eadem die, qua Diocesanus Episcopus, vel alius loco ejus solemniter prædicat maximè in Ec-

E e clesia

ANNO
1382.

III.
Ex histor.
Univerfit.
Parisiens.
Bulæ Tom.
IV. pag. 604.

ANN O
1383.

clesia Cathedrali, nullus vestrum in ea Civitate, vel loco prædicare præsumat, ne salubris prædicationis Doctrina ex frequenti inculcatione quasi tædium generet & contemnatur, si verò in casu licito Parochianos alterius ad sepulturam, quam nemo sine iusta, & rationabili causa temerè debet eligere, antiquis Parentum suorum dimissis sepulturis, in vestris Ecclesiis vos recipere contingat, omnium quæ obtentu huiusmodi sepulturæ fuistis consecuti, medieratim, vel tertiam partem, vel quartam juxta felicitis recordationis Gregorii Papæ Prædecessoris nostri Decretum, & secundum consuetudinem regionis, tertiam non requisiti infra octo dies à tempore receptionis eorum, Episcopo vel Sacerdoti de cuius Parochia mortuus est assumptus exhiberi curetis. Et infra. Si quis verò vestrum huiusmodi præcepti transgressor provisionis nostræ extiterit, vel contra prædicta, vel aliquid prædictorum venire præsumperit, præter inobedientiæ vitium & excommunicationis sententiam, quam de facto ipsum incurere volumus, gravi suo periculo subiaceat, & nihilominus à loci Diacesano ad præmissa omnia & singula observanda censura Ecclesiastica omni appellatione remota districtius compellatur, nullis ei contra hoc Indulgentiis, vel Privilegiis Apostolicis valituris. Datum Neapoli XI. Calendas Decembris Pontificatus Nostri anno septimo.

Ad Imperatorem contra Confederationes cum Hæreticis: anno 1383.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Carissimo in Christo filio Venceslao Romanorum & Bohemæ Regi illustri, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Nuper cum ad nostram pervenisset notitiam, quod olim tam tua seneritas, quam etiam claræ memoriæ Carolus Romanorum Imperator, & Genitor tuus, simul vel successivè nonnullas confederationes, vel colligationes seu Ligas, aut Conventiones, cum diversis Regibus, Principibus, Ducibus, Comitibus, Magnatibus, Nobilibus, & aliis Magnatibus qui tunc erant, seu postea sunt effecti schismatici seu Hæretici manifesti, & ab unitate Sanctæ Romanæ & Universalis Ecclesiæ separati, quamvis per nos aliàs declarati non essent. Nos attendentes quod huiusmodi Confederationes, Colligationes, & Ligæ seu conventiones, factæ cum huiusmodi Hæreticis aut Schismaticis, postquam tales effecti fuerant, erant temerariæ, illicitæ, & ipso jure nullæ, & si forsan ante ipsorum lapsum in schisma seu Hæresim initæ, seu factæ fuissent, etiam si forent juramento, vel fide data firmatæ, aut confirmatione Apostolica, vel quacumque alia firmitate roboratæ, postquam tales, ut præmittitur fuerant effecti, eo ipso, tam Tu, quam illi, qui forsan, una tecum huiusmodi confederationes, Colligationes, ligas, seu Conventiones cum talibus inierant, seu fecerant, & ad quos huiusmodi Confederationes, Colligationes Ligæ, seu Conventiones quomodolibet extendi poterant, & quorum interest, vel interesse poterat, ab eorum observantione absoluti eratis, illasque ipsis servare non debebatis, quinimò tu huiusmodi schif-

maticos & Hæreticos, ratione Imperii, ad quod Electus, & per nos approbatus existebas prout existit in favorem Sanctæ Romanæ, & Universalis Ecclesiæ, cuius es Advocatus, pro posse prosequi tenebaris, ac teneris, quodque omnis communio cum talibus Hæreticis seu Schismaticis nimis periculosa existit, cum nulla sit prorsus nec esse debeat participatio lucis ad tenebras, aut Christi ad Belial. Et cupientes super his tuæ & aliorum animarum salutem & honori, ac statui tuo & aliorum, quorum interest, ut præfertur, salubriter providere, ac periculis & scandalis, quæ tibi & ipsis exinde provenire poterant, utiliter præcavere. Et te, & alios omnes, quorum interest & interesse poterat, auctoritate Apostolica, per nostras litteras, declaravimus fuisse, & esse ab earumdem Confederationum, Colligationum, Ligarum, & conventionum, observantione penitus absolutos, & ad earum observantionem aliquatenus non teneri, illasque, quatenus de facto processerant, cassamus, irritamus, & nullius esse decrevimus firmitatis: Et insuper cupientes animarum periculis obviare, tam tibi quam omnibus, etiam huiusmodi aliis, quorum interest, seu interesse poterat, districtius inhibuimus, ne Confederationes, Colligationes, ligas, aut Conventiones huiusmodi aliquatenus observaretis, seu ab illis servare quomodolibet permetteretis.

Decernentes ex tunc irritum, & inane quicquid, in contrarium, à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Ideoque magnificentiæ tuæ paterno suademus affectu, ut præmissa prudenter consideres & huiusmodi declarationem & inhibitionem nostras diligenter studeas observare, & facere ab illis observare.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum XV. Calendas Maii Pontificatus nostri anno quinto.

Institutio Universitatis studii generalis ad Normam Academia Parisiensis in Urbe Coloniensi: an. 1388.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

IN supremæ dignitatis Apostolicæ specula superni dispensatione consilii, licet immeriti, constituti, ad universas fidelium regiones nostræ vigilantia creditas, earumque profectus, & commoda tamquam Universalis gregis Domini Pastor, commissa nobis speculationis apicem, quantum nobis ex alto permittitur, extendentes, fidelibus ipsis ad quærendum litteratum studia, & scientiæ margaritam, cuius dum invenitur, gloriosa est possessio, & fructus suavissimi, per quam pelluntur ignorantia nubila, ac erroris eliminatâ caligine mortalium curiosa solertia suos actus, & opera disponit, & ordinat in lumine veritatis, per quam etiam divini nominis, fideique Catholice cultus protenditur, iustitia colitur, tani publica, quam privata res geritur utiliter, omnisque prosperitas humanæ conditionis augetur.

Ob hoc igitur magno, nec mirum, desiderio ducimur, ut litterarum studia, in quibus pretiosa ipsius scientiæ margarita reperitur, laudanda suscipiant incrementa, frequentius invalescant præsertim in locis illis, quæ ad multiplicanda doctrinæ semina, & germina

salu-

ANN O
1388.

IV.
Ex Archiv.
Angliæ
Rimer
Tom. 7.
P. 392.

V.
Ex Oper.
Diplom.
Miræi Tom.
II. pag. 1253.